

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Clariss.& integerrimo uiro, prudentia & uirtute praestanti, domino Michaeli
Meyenburg, amico suo chariss. S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

demiam me conferrem. Deus hæc pericula gubernet, & ut gubernet toto eum pectore oro: etiam ut uos & nostros seruet incolumes. Bene & feliciter ualete. Data die agonis filij Dei ad montem O-

1547.

Clariss. & integerrimo uiro, prudentia
& uirtute præstanti, domino Michaeli
Meyenburg, amico suo chariss.

S. D.

Charissime & integerrime uir. Quadraginta
Ioachimicos iam missos, mox tradidi Erasmo Be-
nedicto, pedagogo filij uestri. Nam Dei beneficio
adhuc aliquid uiatici habeo: & quod antes misi-
stis, adhuc integrum est. Ago autem gratias uobis
pro perpetua beneuolentia, & multis beneficijs ue-
stris. Filius uester nunc iterum mihi a sedit in men-
sa: & cum hic occasionem habeat, studeo eum rectè
institui. Discit enim diligenter Dialecticam & A-
rithmeticam: & utilius est eum manere in hoc loco,
donec nobis hic tranquillitas cõceditur, quã Deus
hactenus mirabili bonitate nobis largitur. Etsi scio
Mauricianos nominatim de me interficiendo locu-
tos esse, cum quidem ego neminẽ unquã adiunctum
duci Mauricio læserim, & ipsius Academijs & Ec-
clesijs mediocriter seruierim. Sed scriptũ est: Om-
nes capilli capitis uestri numerati sunt. Hac con-
solatione

solatione uos quoq; sustentate, et bellum Deo com-
mendate, qui etiam dabit exitum aliquem, & ser-
uabit Ecclesie seminaria. Post paucos dies, ipse u-
na cum filio ad uos ueniam. Pastorem Ecclesie ue-
strae indico Andream, qui est in Calicis: uir grauis,
& doctus, & prudens est. Ea q; de re scribam ad
eum. Bene ualete. Die 10 Martij, Anno 1547.

Clariss. uiro, D. N. N. amico & fratri
suo charissimo, S. D.

10. 5. 6. Martij II, 1547.

Τὸ μέλλον αἰεὶ τυφλὸν ἔστι: inquit Sophocles.
Quare quis sit exitus tam horrendi belli futurus,
pronunciare non possumus. Sed tamē quisquis erit
exitus, *ἡ ἀπομείνου ἕνους* (ut ueteres dicebant) fore
certum est. Prestemus igitur animos ad ferendas
eas misérias, quae bella ciuilia comitantur. Imò &
Deum aeternum patrem Domini nostri Iesu Chri-
sti oremus, ut poenas mitiget. Marchio Elector
hinc heri profectus est, ut de pace agat: sed ipse
quidem sperabat N. ad pacem flecti posse, qui con-
fidit N. & N. auxilijs. Et in Electoris castris pro-
ditiones metuuntur. Cum igitur crescant pericu-
la, sit inuocatio Dei ardentior. Te q; oro, ut uel quo-
tidie scribas, ea quae isthic audies digna memoratu.

Bauarus quem misimus ut publico ritu uocatio
eius ad ministeriū Euangelicū confirmaretur, nō-
dum redijt. Hessum gubernatorem Ecclesie Dei in
urba